

iustam illam causam facilem vincibilem optumam?
 50 *PH.* memini. *GE.* em nunc ipsast opus ea aut, siquid
 potest,
 meliore et callidior. *PH.* fiet sedulo.
GE. nunc prior adito tu, ego in insidiis hic ero
 succenturiatu', siquid deficias. *PH.* age.

ACTVS II

i DEMIPHO PHAEDRIA GETA

DE. Itane tandem uxorem duxit Antipho iniussu meo?
 nec meum imperium—ac mitto imperium—, non simul-
 tatem meam
 revereri saltem! non pudere! o facinus audax, o Geta
 monitor! *GE.* vix tandem. *DE.* quid mihi dicent aut
 quam causam reperient?
 5 demiror. *GE.* atqui reperiam: aliud cura. *DE.* an hoc 235
 dicet mihi:
 "invitu' feci. lex coegit"? audio, fateor. *GE.* places.
DE. verum scientem, tacitum causam tradere advorsariis,
 etiamne id lex coegit? *PH.* illud durum. *GE.* ego ex-
 pediam: sine!
DE. incertumst quid agam, quia praeter spem atque in-
 credibile hoc mi optigit:
 10 ita sum irritatus animum ut nequeam ad cogitandum in- 240
 stituere.